Art.
8. A. 4
BS.

V. Cl. D. Dri Clayton
infirmorum * Regi, Regio
Medicinae apud Oxonienses
Professori, Collegij nostri
Pembrochiensis Magistro,
Amico optimo, suauissimo
Collectanea haec Regalia,
& seipsum donat
Collector.

* Sceptrum Æsculapio tribuit Pausanias,
ut dignitas medici eo repraesentetur;
qui Regis in morem aegris imperare
debet. Quo spectat inuectiua Galeni
libro primo Therapeutices, medicos
sui temporis incusantis, quod mancipi-
orum ritu aegris subseruirent, contra
maiorum ab Æsculapio oriundorum
morem, qui velut reges subditis, prae-
scriberent aegrotis quae fieri vellent.

Hadrian. Jun. Med. Emblem. 8.

Art.
8. A. 4
BS.

V. Cl. D. D[ri] Claytono infirmorum * Regi, Regio Medicinæ apud Oxonienses Professori, Collegij nostri Pembrochiensis Magistro, Amico optimo, suauissimo Collectanea hæc Regalia, & seipsum donat Collector.

* Sceptrum Æsculapio tribuit Pausanias, ut dignitas medica eo repræsentetur, qui Regis in morem ægris imperare debet. Quò spectat inuectiua Galeni libro primo Therapeutices, medicos sui temporis incusantis, quòd mancipiorum ritu ægris subseruirent, contra maiorum ab Æsculapio oriundorum morem, qui velut reges subditis, præscriberent ægrotis quæ fieri vellent.

Hadrian. Jun. Med. [illegible]

ΒΑΣΙΛΙΚΑ ΔΩΡΑ,

Sive,

Sylloge Epiſtolarum, Orationum, & Carminum REGALIUM.

Quæ quos Britanniæ *Monarchas Authores: quos etiam Editores antèhac habuerint, inſpicienti ſtatim conſtabit.*

Sidon. Apollinar. Epiſt. l. 4. Ep. 17.

Ducum antiquorum dextera ſolebat non minùs ſtylum tractare quàm gladium.

LONDINI,
Typis *R. Badger*, Sereniſſimi PRINCIPIS *Walliæ* Typographi. MDCXL.

8° A. 4. Art. Bs.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Collector Lectori.

D*Ico ego* (dixit Vates Regius) *opera*, vel (ut alius vertit) *poëmata mea Regi. Lingua mea calamus velociter ſcribentis.* Pſal.45.1,2. Jun. Dicere auſus ſum & ego humilis, & tibi (Lector candide) addicere Opera & Poëmata Regum, quorum linguæ fuerunt calami velociter ſcribentium: & à quorum linguis horum nonnulla (Orationes ſcil. *Divæ Elizabethæ*) excepêrunt calami velociter ſcribentium. *Beatos putavit* Plinius Secundus, *quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda: beatiſſimos verò quibus utrúmque.* Epiſt.l.6.16. Et datum certè fuit utrúmque his, quos hîc lecturus es, Principibus τοῖς μακαρίτοις: ídque Dei Opt. Max. munere; ut non abs

re Poëta maximus Reges dixerit διοτρεφεῖς, à Deo nutritos, vel Dei Diſcipulos. *Dedit* His Noſtris Deus (ut olim *Solomoni Regi) *ex ſententia dicere, ac pro dignitate eorum quæ dabantur cogitare:* & *in* eorum *labiis* (juxta ejuſdem Regis ſententiam) *ſagacitas*, vel, *divinatio inſedit*. *Beauclerici* olim cognomen habuit *Henricus Angliæ* noſtræ Rex ſic dictus Primus. Talis etiam fuit ejus nominis Octavus. Tales hic videamus fuiſſe filium ejus & filiam, *Edovardum*, & *Elizabetham Zenobiam* alteram. Talis veriſſimè fuit *Jacobus*, *poſt Regium nomen cognitum & auditum* (tale illi tribuit elogium, qui novit optimè, Præſul doctiſſimus) *Regum optimus & doctiſſimus*, & (ut addam, & ita dicam ego) Πλατωνικώτατος. Hunc, & deceſſores ejus hos quos profero, mihi recolenti, adaptantur *Agapeti* Diaconi verba hæc: Ἐν ἡμῖν ἀνεδείχθη τῆς εὐζωΐας ὁ χρόνος, ὃν προεῖπέ τις τῶν παλαιῶν ἔσεσθαι, ὅταν ἢ φιλό-

σοφία

Homer. Odyſſ. γ. Διοτρεφεῖς λέγει τοὺς βασιλεῖς, ὡς μαθητὰς τοῦ Διὸς, καὶ ὑπ' αὐτοῦ πεπαιδευμένους τὴν βασιλικὴν παιδείαν, &c. Poeta vocat Reges διοτρεφεῖς, ac ſi *Iovis* Diſcipulos vocaret; & ab ipſo regiam edoctos eruditionem. *Phavorinus*.

*Sapient. 7. 15

Prov. 16. 10.

Beauclerke.

R. Montacutius Epiſc. modò Norvicenſ. in Præfatione ad Apparat.

In lib. de Offic. Regis.

σοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσι: *Noſtris temporibus oſtenſum eſt proſperum vitæ tempus, quod prædixit *quidam ex veteribus futurum, cùm vel Philoſophi regnabunt, vel Reges philoſophabuntur*. Cogor prætereà cum *Eumenio* ad *Conſtantinum Cæſarem* verba faciente exclamare; *Dii boni! quid hoc eſt, quod ſemper ex ſupremo fine mundi* (*Angliam* noſtram innuit) *nova Deûm numina univerſo orbi colenda deſcendant?* De *Paulo* & *Barnaba* Apoſtolis non dubitabant dicere *Lyſtrenſes, Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Vocantes Paulum Mercurium*, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγέμων τοῦ λόγου: *quoniam ille præibat in loquendo*, vel, verbi *dux erat*. Nec dubitamus nos *Angli* aſſerere, habuiſſe nos inter nos Homines Diis ſimiles factos, Deos mortales, & è cœlo lapſos Reges: è quibus unum meritiſſimò vocare potuimus *Mercurium*, (——*non vox hominem ſonat*——) erat enim ἡγέμων τοῦ λόγου ut τῶν θεῶν, & *Mercurius* alter τρισμέγιστος, Rex, ſcil. Philoſophus, & Theologus. *Opera*

Sic habet vetus Interpres, Edit. *Venet.* 1509.

* Is fuit *Plato*, lib. 5. de Repub.

Act. 14. 11, 12

Dixi, Dii eſtis, &c. Pſal. 82. 6.

Ἑρμῆς ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, ab elocutione dict.

*testantur de eo**. Reprimo igitur me, & *Henrici* Regis ad *Eraſmum* verbis hîc legendis, *Jacobi* Regis manes alloquens utor; *Quid ego tuam* (Magne *Jacobe*) *laudare paro facundiam, cujus per totum terrarum orbem eſt nobilitata ſcientia? Nihil queo equidem in tuam laudem effingere, quod tam conſummatâ iſthâc eruditione ſatis dignum ſit. Quare tuas laudes omitto, de quibus ſilere ſatius puto, quàm nimis parcè dicere.*

* Teſtatur & liber qui inſcribitur *Rex platonicus*.

In Epiſt. prim.

De me ut aliquid dicam: diſperſa priùs collegi & disjuncta conjunxi, latentia quædam & minùs animadverſa novâ luce donavi; invitus ut noſtros diutiùs clam eſſent hæc κειμήλια. Morem igitur ſequor eorum, οἱ (verba ſunt D. *Chryſoſtomi*) τῶν μεταλλικῶν ἑψοῦντες γῆν οὐχὶ τὰς μάζας τοῦ χρυσίου ἀναιροῦνται, ἀλλὰ καὶ τὰ μικρὰ ψήγματα μετὰ πολλῆς συλλέγουσι τῆς ἀκριβείας; *qui metallorum terram excoquentes poſtquam in caminum ipſam injecerint, non tantùm auri maſſas tollunt, ſed & parvas bracteolas ſumma cum ſedulitate colligunt.* Non poſſum non recognoſcere quàm ſtrictè & accuratè

Ad popul. *Antioch.* Hom. 1.

Regum (& eorum præſertim) verba in ſacris Archivis reponuntur ac recenſentur; In quibus habemus non ſolùm integros *Davidis* ac *Solomonis*, patris & filii, Regum, Libros: ſed & alias eorum voces divinas & memorabiles; *Davidis* nimirùm gratiarum actiones & precationes, *verba* ejus *poſtrema*: *Solomonis* Orationem in dedicatione Templi habitam: *Scriptum* præterea *Hezechiæ* Regis, necnon Orationem *Manaſſis*, ejuſdem filii. Addo & minutilum illud à Rege *Syriæ* ad Regem *Iſraelis* miſſum Epiſtolium. Authores alios & libros in præſenti adire non libet aut attingere. Nollem ut (quod erat *Cynici* dicterium) *porta civitate* dicatur *patentior*. Vnicum eſt quod habeo addendum. Objicienti fortean & aſſerenti plures Principum noſtrorum, nempe *Henrici* VIII. & *Elizabethæ*, ad exteros extare Epiſtolas, in *Rich. Hackluiti* Peregrinationibus *Anglicis*, & alibi obvias: reſpondeo, non neſcire me, verùm eorum *digitis exaratas*, *ſuopte Marte conditas*, & *propriis deſcriptas*

1 Paralip. cap. 17. & c. 29.
2 Sam. c. 23.
1 Reg. 8.
Iſai 38.
2 Reg. c. 5, 6.

ſcriptas articulis (quæ ſunt *Guil. Montjoii* & *Eraſmi* de *Henrici* prædicti Epiſtolis, quæ hîc habentur, verba) eas non agnoſcere : ab iis, qui Iis erant ab Epiſtolis *Latinis*, contextas fuiſſe aſſerere. Hoc mecum (Lector bone) perſuaſum habe, & Vale.

Imprimatur,

Tho. Wykes.

Decemb. 21.
1639.

HENRICI OCTAVI
EPISTOLÆ.

PRINCEPS HENRICVS *DES.* ERASMO *VIRO VN-*DICVNQVE DOCTIS-SIMO. S.

IESVS eſt ſpes mea.

T*Vis plurimum ſum literis affe-ctus, diſertiſſime* Eraſme, *quip-pe quæ & venuſtiores ſunt quam ut raptim videantur exaratæ, & lucidæ ſimpliceſque magis quam quæ ab ingenio tam ſolerti præ-meditatæ judicentur. Fit enim neſcio quo pacto, ut quæ ab ingenioſis elaboratæ, deditiore depro-muntur opera, plus pariter affectatæ ſecum affe-rant difficultatis: nam dum terſiori ſtudemus eloquio, ſubterfugit nos clanculum apertus ille clarúſque dicendi modus. Sed tua iſthæc Epi-*

ſtola quantum venuſtate pollet, tantum etiam ſuâ perſpicuitate liquet, ut prorſus omne penicillum tuliſſe videaris. Sed quid ego tuam laudare paro facundiam, cujus per totum terrarum orbem eſt nobilitata ſcientia? Nihil quod equidem in tuam laudem effingere, quod tam conſummatâ iſtac eruditione ſatis dignum ſit. Quare tuas laudes omitto, de quibus ſilere ſatius puto, quàm nimis parcè dicere. Rumorem illum de morte Caſtellani regii, noti fratris primitùs penitùſque deſideratiſſimi, longè antè quàm ex tuis literis oppidò invitus acceperam: ſed eum utinam aut ſeriùs multò, aut minùs verum ad nos fama tuliſſet. Nunquam enim poſt chariſſimæ genitricis mortem nuncius huc venit inviſior: Et parciùs, ut verum fatear, huic literarum parti ſapebam, quàm earum ſingularis poſtulabat elegantia, quòd cicatricem, cui callum tempus obduxerat, refricare viſa eſt. Verùm quæ ſuperis ſunt viſa, mortalibus rata haberi fas eſt. Tu verò perge, eâque nobis literis ſignifica, ſi qua ſunt iſthic nova, ſed jucundiora. Deus fortunet quæcúnq; memoratu digna acciderint. Vale. Ex Richemundia, decimo ſeptimo die Ianuarij.

HENRI-

HENRICUS ANGLIÆ REX, ERASMO ROT. S. D.

INcomparabiles illas animi tui dotes, ut ſummâ ſemper cum admiratione tum favore benevolentiáque ſumus proſecuti: ita iniquo planè animo tulimus, quod de tuæ fortunæ iniquitate, haud ita pridem, retulit nobis *Cantuarien.* Archiepiſcopus, impijſſimos, videlicet, aliquot homines & Chriſtianæ religionis hoſtes infenſiſſimos, ita miris artibus tuæ vitæ inſidiari, ut nuſquam penè tuto ab illis eſſe liceat tibi. Fuit quidem in teneris, quibus te novimus, annis, ſtudium in te noſtrum neutiquam vulgare. At illud in majus indies provexit, quod nos immortalitati conſecrare, editis à te libellis quibus honorificam admodum

noſtri mentionem facis, ſedulò ſtuduiſti. Quod nos ſummæ obſervantiæ, fidei, & amoris in nos tui certiſſimum argumentum ſemper habuimus. Nunc autem poſtquam in ſummum quidem crevit pertinax ille & indefeſſus animi tui tenor, quem in propaganda & illuſtranda Chriſtiana fide non æſtimandis laboribus tuis, ſed ingenti ſane cum Chriſtiani orbis fructu commodóque ſtrenuè præſtas: eò viciſſim magnitudinis evaſit amor in te noſter, ut nihil quidem illi accedere poſſe videatur. Quin incredibili quoque alacritate geſtimus, quum ſolus propemodùm provinciam hanc ſuſtineas, tam pijs ſanctíſque conatibus tuis pro virili ſuccurrere & præſidio eſſe. Sentimus enim & ipſi jam aliquot annos vehementer incaleſcere & flagrare pectus noſtrum, divino haud dubiè ſpiritu huc incitatum, ut *Chriſti* fidem religionémq; priſtinæ ſuæ dignitati aſſeramus: nec quicquam ſanè nobis unquam prius in votis fuit, quàm ut labores ſtudiáq; omnia noſtra, & quicquid uſquam *Chriſti* beneficio, cui omnia accepta ferimus, virium habemus, in eo poneremus, ut diſcuſſis & profligatis

gatis impijs hæreticorum impoſturis, Sermo Dei purè ac liberè curreret. Sed quæ temporum eſt, ut vides, infelicitas, bonorúmq; morum magna calamitas, omnia in deterius prolabuntur. Quo magis tuas, imò Chriſtianæ religionis vices in te dolemus, de tuáque ſalute ſoliciti ſumus, ne te ſublato impiæ hæreticorum tenebræ latiùs in mundum ſpargantur, imò perniciosiùs multò graſſentur & regnent crudeliùs. Quibus malis quemadmodum occurrere opportea tua prudentia facilè diſpiciet. Nobis certè non alia potior via ratióque videtur, quàm ſi relicta prorſus *Italia, Germaniáq;* tua in Regnum hoc noſtrum velis concedere. Quod ſi tibi quoque gratum acceptúmque cederit, non modò gratiſſimus nobis, ſed & optimis conditionibus, & quas ipſe ſatis amplas & honeſtas judicabis, ad nos venies. Meminimus dicere ſolitum te laſſum maris & viarum *Britanniam* ſenectuti tuæ ceu portum & quaſi vitæ ſedem delegiſſe. Quod animi tui decretum ut ne mutes aliquando te per ſacra piáque omnia obteſtamur. Nos tua dulciſſima conſuetudine prudentiſſimóq; conſilio

lio

lio, quo deinceps, utì decrevimus, frui, magni beneficij inſtar ducemus. Tuæ autem vitæ incolumitati, neque non ſtudiorum tranquillitati optimè hac ratione conſultum erit. Poſtremò, *Chriſti* evangelium mutuâ operâ & conjunctis opibus noſtris longè melius propugnabitur. Si amicorum ratio te moveat, præter eos quos hîc ſemper habuiſti amiciſſimos & ſtudioſiſſimos tui, ſummos etiam quóſque Regni noſtri proceres, qui tibi jampridem impenſe favent, facilè conciliabimus. Si libertatis cura te tangat, nos nihil planè abs te officij poſtulabimus, quo minus ubivis in regno noſtro ſummâ cum libertate tuâ vivas. Breviter, ut quicquid voles, quod vel ad vitæ tuæ vel ſtudiorum tranquillitatem ſpectabit, expoſitiſſimum ſenties in te favorem noſtrum. Facito igitur, optime *Eraſme*, ut noſtris viciſſim votis hîc reſpondeas. *Vale*, Oxfordiæ XIIII. *Calend. Octobris.*

HENRI-

HENRICVS ANGLIÆ REX IOHANNI LVDOVICO VIVI, S.

PRaſtantiſſime Vir, & amice noſter plurimùm dilecte, Auguſtinus de civitate Dei tuis illuſtratus Commentarijs ſimul atque ad manus noſtras pervenit, nobis gratus effecit ut prorſus dubitemus, cui inprimis gratulari debeamus: tibíne, cujus tam erudito labore tam egregium Opus abſolutum eſt: an Auguſtino, qui diù mutilus & obſcurus ex denſiſſimis tandem tenebris luci datus, & priſtinæ reſtitutus eſt integritati: an toti poſteritati, cui iſti tui Commentarij ingenti erunt fructui. Quod autem hos Commentarios noſtro nomini dicare tibi libuerit, non poſſumus non habere & agere gratias ingentes: ob id potiſſimùm, quod animus hac in re tuus non vulgarem erga nos amorem ac obſequentiam viſus eſt oſtendiſſe.

Quamobrem tibi perſuaſum eſſe volumus, noſtrum fauorem atque ſtudium, quacunque oblata occaſione, quæ ad tuum commodum ſpectare poteſt, rebus tuis nunquam defuturum. Et feliciter vale. Ex Regia noſtra *Grenuici.* Die XXIIII *Ianuarij.* MDXXIII.

De HENRICO VIII Rege verba quædam & Elogia ab ERASMO in Epiſtolis habita (cùm ad rem faciant) viſum eſt ſubnectere.

In Epiſtola ad THOMAM Cardinalem Eboracenſem. l. 3. p. 140.

PHILIPPUM *Caſtelliæ* regem, ſub cujus nomine boni Principis ſimulacrum effinxi, ſereniſſimus Rex *Henricus*, ejus nomenclaturæ octavus, puer juvenem fratris vice dilexit, cujus mortem etiam ſuis ad me literis olim deploravit, non minus amanter quàm eleganter.

Ad RAPHAELEM Cardinalem Sancti Georgij. l. 2. p. 71.

DEfuncto Regi [HENRICO VII.] ſucceſſerat plane divinæ cujuſdam indolis juvenis, nec ineleganter bonis literis initiatus: noſtri vero adeo jam multo ante ſtudioſus, ut paulo ante Patris obitum, cum in *Italia* viverem, literas ad me dederit, & ſuopte Marte conditas, & proprijs deſcriptas articulis: ſed ejuſmodi, ut vel ex his ſingulare quoddam & regno dignum ingenium poſſis agnoſcere.

Ad GEORGIUM *Ducem* Saxoniæ. *Lib. 19. Pag. 686.*

EGo nunquam dubitavi quin ille libellus sereniſſimi Regis *Angliæ* [contra *Martin. Lutherum*] non ſine cauſa abs te laudatus, ipſius, cujus habet titulum, ingenio

ingenio Martéque, quod aiunt, ſit elaboratus. Habet enim Princeps ille ingenium mirè felix ac verſatile, quod incredibili modo valet, quocunque ſe intenderit. Et ſtilum olim puer non indiligenter exercuit, etiam ad me ſcriptis Epiſtolis aliquot. Tum ante paucos annos diſputationem conſcripſit Theologicam, An laicus obligaretur ad orationem vocalem, & in ſcholaſticorum libris verſari gaudet, & in convivijs aliquid de re Theologicâ diſſerere ſolitus eſt; nonnunquam in multam noctem profertur contentio literata. Habet Reginam eleganter doctam, &c.

Non poſſum meipſum temperare quò minùs addam Gvilielmi Montioii *Baronis, & Reginæ famulitio præfecti Epiſtolæ ad* Erasmvm *particulam; quum cum antecedentibus in parte conveniat, & qualis tum Rex ille fuerit, nobis indicet.*

Inter

Inter Epiſtolas ERASMI.
Lib. 3. *Pag.* 189.

NIhil vereor, mi *Eraſme*, quin ubi primùm audiſti, Principem noſtrum HENRICUM octavum, ſeu potius Octavium, defuncto patri in regnum ſucceſſiſſe, omnis tibi ex animo ægritudo repente abierit. Quid enim tibi polliceri non poſſis de Principe, cujus egregiam propéq; divinam indolem probè noris, cui præſertim ſis non modò notus, ſed etiam familiaris? quippe literas ejus digitis exaratas, quod paucis contigit, accepiſti. Verùm ſi ſcias, quem nunc heroa ſe præſtet, quàm ſapienter ſe gerat, quantus æqui boníque ſit amator, quod ſtudium in literatos præ ſe ferat: auſim meo periculo jurare, te vel ſine alis, ut hoc novum & ſalutare ſydus aſpicias, huc ad nos properè advolaturum. O mi *Eraſme*, ſi videas, ut mortales omnes hîc

hic lætitia geſtiant, ut de tanto Principe ſibi gaudeant, ut nihil magis exoptent, quàm ejus vitam, lachrymas præ gaudio continere non poſſes. Ridet æther, exultat terra, omnia lactis, omnia mellis, omnia Nectaris ſunt plena. Exulat longè gentium avaritia, larga manu ſpargit opes liberalitas. Noſter Rex non aurum, non gemmas, non metalla, ſed virtutem, ſed gloriam, ſed æternitatem concupiſcit. Guſtum tibi dabo. Superioribus diebus quum ſe eruditiorem optaret, Non hoc, inquam, nos a te, ſed ut eruditos amplectaris & foveas, expetimus. Quidni, inquit, nempe ſine illis vix eſſemus. Quæ vox ore Principis præclarior emitti potuit?

EDOVARDI SEXTI EPISTOLÆ DVÆ.

THOMÆ CRANMERO Archiepiſcopo *Cantuarienſi*.

*IMpertio te plurimâ ſalute, colendiſſime Præſul, & chariſſime * Suſceptor. Quia abes longè a me, vellem libenter audire te eſſe incolumem. Precor autem ut vivas diu, & promoveas verbum Dei.* Vale. *Antilæ* decimo octavo Junij.

* Erat hic Archiepiſcopus Edwardi hujus, nec non *Eliſabethæ* Reginæ in Baptiſmo Suſceptor.

Tuus in *Chriſto* filius

EDVVARDVS Princeps.

EIDEM.

ETſi puer ſum, colendiſſime Suſceptor, non tamen immemor ſum vel officij erga te mei, vel humanitatis tuæ, quam indies mihi exhibere ſtudes. Non exciderunt mihi humaniſſimæ tuæ literæ pridiè divi *Petri* ad me datæ. Quibus antehac reſpondere nolui, non quòd illas neglexerim, aut non meminerim, ſed ut illarum diuturnâ meditatione fruerer, fideliſque memoriâ reponerem, atque demum bene ruminatis pro meâ virili reſponderem. Proinde affectum erga me tuum verè paternum, quem in illis expreſſiſti, amplector & veneror, optóq; ut multos vivas annos, tuóq; pio ac ſalubri conſilio pergas eſſe mihi venerandus Pater: Nam pietatem ante omnia mihi amplectendam & exoſculandam eſſe duco,

duce, quoniam divus *Paulus* ait, Pietas ad omnia utilis eſt. Optimè valeat tua Paternitas in plurimos annos. *Hartefordiæ*, tertio decimo *Ianuarij*.

Tui ſtudioſiſſimus,

EDOVARDUS *Princeps.*

PRiorem Epiſtolam *Edovardum* ſcribentem, annum ætatis ſeptimum non exceſſiſſe arbitratur *Io: Foxius*: apud quem reperitur utraque in *Act. & Monument.* edit. 1583. pag. 1395.

Profert idem p. 1296. de hoc Rege, *Hier. Cardanus* in libro de Genituris atteſtationem mirandam, quam quid ni hîc ſubijciam?

Aderant illi Gratiæ; Linguas enim multas adhuc puer callebat, Anglicam natalem, Latinam, Gallicam, non expers (ut audio) Græcæ, Italicæ, & Hiſpanicæ, & forſan aliarum. Propriam Gallicam & Latinam exactè tenebat, & ad omnia docilis erat. Non illi

illi Dialectica deerat, non naturalis Philoſophiæ principia, non Muſica: Humanitas, mortalitatis noſtræ imago; gravitas, Regiæ Majeſtatis; indoles, tanto Principe digna. In univerſum magno miraculo humanarum rerum, tanti ingenij & tantæ expectationis Puer educabatur. Non hæc Rhetoricè exornata veritatem excedunt; ſed ſunt minora.

Decimum quintum adhuc agebat annum: Interrogabat (Latinè, non minus quàm ego, politè & promptè loquebatur) Quid continent libri tui de rerum Varietate? (hos enim nomini Majeſtatis ſuæ dicaveram) Tum ego, Cometarum primùm cauſam? diu fruſtra quæſitam, in primo capite oſtendo. Quænam (inquit ille) concurſus, ego aio, luminis erraticorum Syderum. At Rex. Quo modo cum diverſis motibus aſtra moveantur, non ſtatim diſſipatur aut movetur eorum motu? At ego, movetur equidem, ſed longè celeriùs illis ob diverſitatem aſpectus, velut in Cryſtallo & Sole cùm Iris in pariete relucet: Parva enim mutatio magnam facit loci differentiam.

At Rex, & quonam pacto abſque ſubjecto illud fieri poteſt? Iridi enim paries ſubjectum eſt. Tum ego, velut in lacteâ viâ, & luminum reflexione, cum plures candelæ propè accenſæ medium quoddam lucidum & candidum efficiunt. Itaque ex ungue Leonem, ut dici ſolet. Fuit hic in maximâ omnium aut bonorum, aut eruditorum expectatione ob ingenuitatem atque ſuavitatem morum. Priùs cœperat favere artibus quàm noſceret, & noſcere antequam uti poſſet. Conatus quidam humanæ conditionis, quem non ſolùm Anglia, ſed orbis ereptum immaturè deflere debet. O quàm benè dixerat ille,

Immodicis brevis eſt ætas, & rara ſenectus.

Specimen virtutis exhibere potuit, non exemplum. Ubi gravitas regia requirebatur, ſenem vidiſſes: ut blandus erat & comis, ætatem referebat. Cheli pulſabat, publicis negotijs admovebatur, liberalis animo, atque in his Patrem æmulabatur, &c.

Hæc *Cardanus*.

ELI-

ELIZABETHÆ REGINÆ EPISTOLÆ

Ad Johannem Stvrmivm.

Amice perdilecte, de præſtanti tuâ doctrinâ, purioriſq; religionis ſtudio, ex libris tuis intelligimus. De tuo item multiplici rerum uſu, atq; prudentiâ, ex ſermone multorum accepimus: accepimus etiam id quod libenter quidem accepimus, magnâ te & obſervantiâ nos, & benevolentiâ noſtros jam diu eſſe proſequutum. Te igitur de hâc tuâ eruditione, religionis cultu, rerum uſu, obſervantiâ erga nos, & benevolentiâ erga noſtros, amore, judicio, & bonâ noſtrâ gratiâ proſequimur. Quod noſtrum erga te ſtudium non ſermone aut benevolentiâ oſtendere, ſed re atq; beneficio repræſentare cogitamus. De quo noſtro animo Christophervs Montivs, præſenti ſuo ſermone, ſed noſtris verbis, plura &

ſiùs, tecum communicaturus eſt. Viam ergò ſtudiorum, atque etiam conſiliorum, quam es feliciter ingreſſus, conſtanter perſequere, & nos te in curſu tuo, non ſolùm benevolè incitare, ſed benignè etiam deinceps promovere, magis magiſque ſtudebimus. Bene valeas, &c.

Illuſtriſſimæ Reginæ Elizabethæ *ad* Oxonienſes Oratio. *An. Dom.* 1565.

QVi malè agit odit lucem: & ego quidem, quia nihil niſi malè agere poſſum, idcirco odi lucem, id eſt, conſpectum veſtrum. Atque ſanè me magna tenet dubitatio, dum ſingula conſidero quæ hìc aguntur, laudémne an vituperem; taceámne an eloquar. Si eloquar, patefaciam vobis quàm ſim literararum rudis; tacere autem nolo, ne defectus videatur eſſe contemptus: Et quia tempus breve eſt quod habeo

habeo ad dicendum, idcirco omnia in pauca conferam, & Orationem meam in duas partes dividam, in laudem & vituperationem. Laus autem ad vos pertinet: ex quo enim primùm *Oxoniam* veni, multa vidi, multa audivi, probavi omnia. Erant enim & prudenter facta, & eleganter dicta. At ea quibus in Prologis, vos ipſi excuſaſtis, neque probare ut Regina poſſum, neque ut Chriſtiana debeo. Cæterùm, quia in exordio ſemper adhibuiſtis cautionem, mihi ſanè illa diſputatio non diſplicuit. Nunc venio ad alteram Partem, nempe vituperationem, atque hæc pars mihi propria eſt. Sanè fateor parentes meos diligentiſſimè curaviſſe, ut in bonis literis rectè inſtituerer, & quidem in multarum linguarum varietate diu verſata fui, quarum aliquam mihi cognitionem aſſumo: quod etſi verè, tamen verecundè dico. Habui quidem multos & doctos Pædagogos; qui ut me eruditam redderent, diligenter elaborârunt. Sed Pædagogi mei poſuerunt operam in agro ſterili & infœcundo, ita fructus percipere vix poterant, aut dignitate meâ, aut illorum labori-

 bus,

bus, aut veſtrâ expectatione dignos. Quamobrem, etſi omnes vos me abundè laudaſtis, ego tamen, quæ mihi conſcia ſum, quàm ſim nullâ laude digna, facilè agnoſco. Sed finem imponam Orationi meæ barbariſmis plenæ, ſi priùs optavero & votum unum addidero. Votum meum hoc erit, ut me vivente, ſitis florentiſſimi, me mortuâ, beatiſſimi.

Ejuſdem Reginæ, ad Legatum à *Poloniæ* Rege miſſum, Oratio.

QVàm decepta fui? Legatum expectavi, Heraldum inveni. Per totam vitam hujuſmodi Orationem ne audivi quidem. Non poſſum ſatis mirari tantam audaciam & temeritatem. Quod ſi tale aliquid Rex tuus tibi mandaverit (quod valdè dubito) ideò factum exiſtimo, quòd juvenis cùm ſit, neque ordinariâ ſanguinis ſucceſſione, ſed electione ad Regnum nuper promotus, non adhuc intelli-

gatrationes hujuſmodi negatiorum, nec ea quæ nobis cum Prædeceſſoribus interceſſerunt. Ad te quod attinet, multos quidem libros legiſſe nobis videris, ea tamen quæ ad res Politicas pertinent, parùm intelligere. Quòd enim Ius gentium toties in Oratione uſurpas, ſcire debes, exorto inter Reges bello, licere uni parti auxilia vel ſubſidia ad alterum miſſa intercipere, & providere ne damni quidquam inde ſibi exiſtat. Hoc nos didicimus naturæ ac gentium juri eſſe conſentaneum, & non à nobis ſolùm, ſed etiam à Poloniæ Succiæq; *Regibus factitatum, in bellis quæ cum* Muſcovitis *geſſerunt. Quod novam Regis tui affinitatem cum* Auſtriacâ *familiâ jactas, ac tanti facis, meminiſſe debes, quoſdam ex eâdem familiâ* Poloniæ *regnum Regi tuo è manibus præripere voluiſſe. De cæteris, ex Conſiliarijs Noſtris, quid Noſtræ ſit voluntatis, ſcies.*

 Ejuſdem

Ejuſdem ad Orationem DOMINICI BAUDII, *ab Ordinibus* Belgicis *in* Angliam *miſſi, Reſponſio.*

EGo benè animadverto ex tuâ perdoctâ Oratione, quod veſtra Dominatio me non ſatis novit, alioqui non attribuiſſet Mihi tam immodicas laudes, quibus me potiùs oneraſti quàm honoraſti. Equidem eas in me non agnoſco, ſed accipio à te amanter, tanquam ab homine amico, & benevolo. Amor tibi dictavit tam bona verba; ubi autem amor dominatur, ibi judicium non poteſt eſſe rectum. Interim gratias tibi habeo quàm poſſum maximas, propter talem tuum erga me affectum; & obnixè te rogatum cupio, ut velis in eâ voluntate conſtanter perſeverare.

Quæ habet *Camdenus* de Sereniſſimâ ac præſtantiſſimâ hâc Reginâ, Academiam ſuam *Oxonienſem* ſemel atq; iterum inviſente; déque priori illâ nec non alterâ, poſt multa annorum luſtra, ibi tum habitâ Oratione, verba libet excribere & exhibere.

Ann. 1566.

ELIZABETHA *in agros jam expatiata animi relaxandi cauſâ, ut ſe non minùs propitiam Muſis* Oxonienſibus, *quàm* Cantabrigienſibus, *candidè inter ſe æmulis, præberet, ad Academiam* Oxonienſem *deflectit; ubi magnificè excepta, ſeptem dies ſubſtitit, loci amœnitate, Collegiorum pulchritudine, ſtudioſorum ingenijs, & doctrinâ exquiſitiſſimâ inprimis oblectata: qui noctem ludis theatralibus, dies eruditis diſſertationibus protruſerunt: de quibus ſingulari Orationis ſuavitate Latinè gratias cumulatè egit, & benigniſſimè valedixit.*

Anno.

Anno. 1592.

REgina æſtivis menſibus rus profecta, per *Oxoniam* iter habuit, ubi poliſſimis Orationibus, Ludis Scenicis, eruditis diſputationibus oblectata, aliquot dies hæſit, opiparis convivijs a *Buckburſto* Academiæ Cancellario excepta. Diſcedens Oratione Latinâ valedixit; in quâ profeſſa eſt ſe perſpectiſſimum Academicorum amorem præ cæteris omnibus oblectationibus, licet gratiſſimis, longè præponere. Pro quo gratias cumulatè perſolvit, votum vovit, & conſilium dedit. Votum erat: ut nihil magis optavit, quàm univerſi Regni ſalutem cum fœliciſſimâ ſecuritate & honore; ita etiam & Academia, ut quæ alterum Regni lumen, ſplendidius inclareſceret & æternum effloreſceret. Conſilium erat: ut Deum inprimis colerent, non ad exquiſita quorundam ingenia, ſed ad leges Dei & Regni; Leges non præirent, ſed ſequerentur;

tur; nec diſputarent, an meliores poſſint præſcribi, ſed præſcriptas obſervarent, ſuperioribus obedirent, & poſtremò fraternâ pietate & concordiâ ſe invicem complecterentur.

Obſervavit Lector verba CAMDENI *præmiſſa*, [ELIZABETHA ut ſe non minùs propitiam Muſis *Oxonienſibus* quàm *Cantabrigienſibus*, candidè inter ſe æmulis præberet, &c.] *Et ego, ut me non minùs* Cantabrigienſibus *quàm* Oxonienſibus *meis æquum hâc in parte præbeam, quæ idem Author ſolutâ, & alius elegans Oratione ſtrictâ, de ejuſdem Reginæ ad* Cantabrigienſes *adventu & Oratione tradiderunt, apponam.*

Anno 1564.

RVris amœnitates quæſivit Regina, & *Cantabrigiam* Academiam, alterum Britanniæ lumen inviſit; ubi a ſtudioſis nullo non honoris genere excepta; Comœdijs, Tragœdijs, & ſcholaſticis digladiationibus oblectata, ſingula Collegia perluſtravit; & habitâ Latinè Oratione propenſam eorum benevolentiam agnovit, multiplicem eruditionem laudavit, exhortata ut in pietatem & bonarum literarum ſtudium omni cogitatione incumberent; de quibus ſe bene merituram ſpoſpondit.

ABRA-

Abrahamus Hartuellus in Libro cui titulus, *REGINA LITERATA*: Sive, de Sereniſſ. Dominæ ELIZABETHÆ *Angliæ*, &c. Reginæ in Academiam *Cantabrigienſem* adventu, &c. Anno 1564. *Aug.* 5. Narratio.

Hactenus hac. Qua jam ſuperûm majora requiram
Numina? Quis toto eſt major in orbe Deus?
Quave Dea, patula quacunque ſub Ilicis umbrâ
Plectrorum primas edocuëre vias?
Quis mihi Mercurius *centum tonat ora? docétque*
Pectore ſublimi commemoranda loqui?
Ipſa etenim Princeps (Nymphis lux ſacra maneto)
Dignata eſt celebri verba referre loco.
Hoc Satrapis populóque dedit. Venerata loquenti,
Pratendit duplices Calliopæa *Roſas.*
Sanguineam & niveam, foliiſque inſcripſit avita
Pralia, concordes compoſuere roſa.
Dicentémque omnes circumſtant ordine Muſa,
Doctiſque inſpirant aurea verba modis.

Ipſa

Ipſa autem vultu, quo Sceptra Britanna *gubernat*
Suſpiciens, poſtquam multa revolvit, ait.
Me licèt ingenuus (dilecta Academia) terret,
Fronti fœminea qui ſolet eſſe pudor.
Hunc tamē haud curant Satrapæ, precibúſq; moleſtis
Non ceſſant aures ſollicitare meas.
Nec nimis invitam ſtimulis pia cura duobus
Cogit, tam charo verba referre loco.
Hinc virtutis amor, quâ nil precioſius; illinc
Tot circumſtantium vota, tot ora movent.
Eja, agitote meus populus, mea viſcera: virtus
Floreat hortatu conduplicata meo.
Regum verba (inquit prudens) oracula; leges
Scriptáque ferratis ſunt monumenta notis.
Principis hoc igitur ſignatum voce maneto,
Virtus ſit veſtris intima cura libris.
Sic & honoratis Regum volitare per aulas,
Sic licet ex humili ſcandere celſa loco.
Omnia luſtravi, peragravi tecta, domóſque,
Quas poſuit pietas religioſa Patrum.
Et Muſis habitata novem Collegia celſa,
Nec niſi Pierio *mœnia danda choro.*
Dulce mei fuerat vidiſſe monilia regni;
At dolor, auſpiciis edita nulla meis.
Sed quid? res magnæ haud una vertuntur in hora;
Romáque, quæ cœpit, non niſi cœpta die eſt.
Nec mea tam multis numeratur meſſibus ætas,
Nec mihi regnandi tam veteranus honos.

Quin

Quóque meum nomen veſtris poſsit certare patronis,
Et par fama Meis annumeretur Avis.
Dii modò ſint faciles, & ſequitur Atropos *ipſa,*
Cunctetur vitæ prodere fila meæ?
Sin vario, & ſævis non exonerata quadrigis
Mors venit, & fati jura ſevera trahant.
Spiritus hoc fugiens moriturâ voce loquetur,
Hoc mihi poſteritas officioſa dabit.
Hæc ait: &c.

Verba R. P. *Jacobi Montacutii* Epiſcopi *Wintonienſis*, in Præfatione ad Opera JACOBI Regis Latina.

N*Vpera Regina noſtra beatæ memoriæ* ELIZABETHA, *preces* CATHARINÆ *Reginæ tranſtulit in Latinam linguam, &c. At in recenti ſunt memoria Orationes Ejus Latinæ in utrâque Academia; reſponſa, quæ variarum Gentium Legatis non uno reddidit idiomate, &c.*

Petrus

Petrus Lindebergius in Hiſtorica Rerum in Europa geſtarum Narratione Hamburgi 1591. excuſa, pag. 139.

ELIZABETHA Angliæ Regina, doctrinarum ſtudiis, & multarum linguarum peritiâ florentiſſima, in ſua mirabili Gynæcratia, &c.

JACOBI

JACOBI REGIS EPISTOLÆ.

Ad Isaacum Casaubonum EPISTOLA.

INnotuit nobis antehac inſignis tua prudentia & eruditio: nunc adfectus tui erga Nos, & cultus non levem feciſti ſignificationem, uterque gratus; etiam literæ tuæ, quæ effuſæ in Noſtras laudes. Quanquam illud Tragici hactenus perplacuit, *Animo magis quàm voce laudari velle*, tamen non diffitemur Nos plurimùm lætatos laudatione tuâ. *Pulchrum*, ait ille, *laudari à viro laudato*, annon à te? cujus nomen jampridem perclaruit in noſtro orbe. Perge, per nos licet, laudare, colere, venerari, aut ſi quid aliud ducis mage Nobis dignum, id face: nihil à te quod non gratiſſimum. Amamus enim eruditionem tu-

am, pietatem, prudentiam, acre judicium, & inſignem animi temperiem, quorum nomine (& hæc non ultima laus, non minima) vales gratiâ apud Regem fortiſſimum & potentiſſimum. Gratulamur ex animo utrique veſtrûm; tibi, quòd honos ſit habitus virtuti tuæ: Illi, quòd ad cæteras virtutes hanc adjecerit verè regiam, cultum hominum literatorum. O Fœlicem *Galliam*, ſi tanto Principe, ſi tam præclaris ingeniis diu fruatur! Ruebat regnum per motus bellorum civilium: ille retinuit, ille effecit ne jam animam agens expiraret Reſpublica. Silebant artes, & tantùm non peribant bonæ diſciplinæ: vos reſtituiſtis: Quid eſt quod non hinc ſperemus, dummodo pax conſtet & libertas liberæ Genti? Sed Deus videbit. Litigia in religione, ut intelleximus, inter vos ſatis fervent, nec remittunt adverſarii quicquam de veteri pertinacia. Mirum quòd in tanta luce non pudeat errorum: mirum quòd non tædeat viros puerilium nugarum. Romanos porrò certum eſt omnia miſcere in gratiam ſui Pontificis, ſerunt odia inter Principes, adimplent omnia ſuſpi-

ſuſpicionibus: Pacem Chriſtianæ Reipub. ſibi noxiam arbitrantur: etiam involant in jura Noſtra, & regna divino humanóque jure nobis debita aliorſum transferre conantur. Hæc perſentiſcimus, & quàm humanitùs fieri poteſt cavemus, ſecuri de eventu; Deus enim hucúſque à nobis, & in poſterum, ut ſperamus. Tu verò *Caſaubone*, quicquid noſtra ſcire intereſt, per literas, dum occaſio erit, ſignificabis: ſcis quid momenti habeant opportuna nuncia, præſertim in rebus publicis. Pietas tua & affectus, de quo multa apud nos *Spottiſwodus* noſter, hæc ſuadent: deìn tu ſub Principe, quocum Nobis conjunctiſſima eſt amicitia, in illa Eccleſia, cujus ſtatus Nos habet valdè ſolicitos. Optamus certè proſpera omnia, Nos interim proſpicimus Eccleſiis Noſtris, Certi unà cum imperio propagare certam in Deum fidem: Exteris, ſi dederit Dominus, opitulabimur: nunc & ſicut hactenus firmum Nobis eſt ſtudia bonarum artium, ſed & earum fautores fovere: namque hæc ornamenta regnorum ducimus & firmamenta. Rectiſſimè *Seneca*, & ad nos:

Etſi noſtra magis refert fortiores fieri quàm doctiores, tamen alterum ſine altero non fit: non enim aliunde venit animo robur, quàm à bonis artibus, & à contemplatione naturæ. Ignoſcimus Philoſopho, quòd non adjecerit *ſtudia pietatis*, quæ Nos tamen ante omnia poſcimus & meritiſſimè; μία φυλακὴ ἐυσέβεια, ἐυσεβῆ γὰρ ἀνθρώπους ὄυτε δαίμων κακὸς ὄυτε εἱμαρμένη κρατεῖ, θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν ἐυσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. Quod ſupereſt, impeditum in *Scotiam* iter tuum ſuperiori legatione moleſtè tulimus: Nobis multò potiùs coràm tecum ſermocinari, quàm per literas, & dabit illud Deus aliquando confidimus, fortaſſe in locis non ita diſſitis. Tu perge interea, dum hoc fiat, quam iniimus amicitiam, crebrioribus literarum alloquiis fovere, ita feceris nobis longè gratiſſimum. Nunc quoniam itur ad occupationes publicas, te, chariſſime *Caſaubone*, ſalvere jubeo & valere. *Edinburgi*, in palatio Noſtro ſuburbano, Kal. Febr. Anno ſalutis CIↃIↃCII.

Ad

Ad *Marcum Antonium de Dominis* Archiepiſcopum *Spalatenſem* Epiſtola è *Scotia* data.

Reverendiſſime Domine Archiepiſcope,

ACcepimus non ita pridem ab Amplitudine Veſtra literas, Pietatis & Officii erga nos pleniſſimas; quas gratiores nobis fuiſſe ut intelligas, reſpondimus in hoc tempore, in quo negotiorum numero & pondere opprimimur, penè ac obruimur, &c. Autorem Nos obviis ulnis amplectimur: & certè dignus eſt qui à nobis colatur. Qui patriam, qui amicos, qui cuncta, quæ carni chara eſſe ſolent, pro *Chriſto* Domino reliquit, nonne meritò ille digniſſimus habeatur, qui à Chriſto Domini unicè adametur? Nec eſt, quod hujus in te animi Nos pœniteat, cùm acerrimi tui hoſtes nihil hactenus in tuis moribus

invenire potuerint, unde vel te de vita tua anteacta, vel nos de præſenti, aut futura gratia pudeat. Cùm viderint adverſarii, quibus fundamentis illud tuum (*de Rep. Eccleſiaſtica*) opus nitatur, quali teſtium nube firmetur, diſceſſum tuum ab eorum cœtu temerè ſuſceptum non dixerint, nec conſilium tuum de loci mutatione facilè improbaverint, qui veritatem ipſam faciliùs non reſpuunt; *& poſt pauca.* Ita enim nos beavit Servator noſter, ut, qui veritatem non amant, pariter & nos oderint: nec eſt, opinor, in terris (abſit invidia verbo) non modò Rex ullus, ſed ne conditionis infimæ homunculus, qui talem ſuſtinuit pro Chriſto contradictionem. Incipimus denique jam tandem, ut exoptas, noſtrum ad vos reditum maturare; quem eò fœliciorem futurum ſpondemus, quò ardentiores pro nobis preces effuderis, & ſicuti tibi placuit celeriorem nobis reditum ex itinere exoptare, ſic viciſſim tardiorem tibi exitum ex vitæ curriculo comprecamur, ut ingens hoc, & egregium Opus tuum pari

fœlicitate

fœlicitate perfectum videant oculi tui, quâ inceptum cernunt alieni. Vale digniſſime Archiepiſcope. Deus opt. max. te diutiſſimè ſervet incolumem. *Sterlino*, 3. Julii, 1617.

JACOBUS R.

In *Philippi Sidnæi* interitum, Illuſtriſsimi *Scotorum* Regis Carmen.

Armipotens, cui jus in fortia pectora, Mavors:
Tu Dea, *quæ cerebrum perrumpere digna* Tonantis:
Túque adeò bijugæ proles Latonia *rupis*
Gloria, deciduæ cingunt quem collibus artes:
Vos etiam huc lachrymas conferte Heliconides, *iſtum*
Plangite, quo veſtri non obſervantior alter;
Nec fuerat veſtris inſignior artibus alter:
Plangite talem, inquam, quem fata inopina tulere,
Cujus *quid memorē, quid carmine proſequar altum*
Aut genus, aut viridos annos, aut quā dederat ſpem?
Exuit, heu, rapido mors illatabilis ictu,
Quo Mars, *quo* Pallas, *quóq; ipſum ornavit* Apollo.
Sed venerandus honos, *cineri ſuperinduit urnam,*
Parte etiam meliore ſui ſuper æthera vivit.

Ejuſdem

Ejuſdem Regis in Eundem Hexaſticon.

Vidit ut exanimem triſtis Cytheræa Philippūm,
  Flevit, & hunc Martem *credidit eſſe ſuum.*
Eripuit digitis gemmas, collóque monile,
  Marti *iterum nunquam ceu placitura foret.*
Mortuus humanâ qui luſit imagine Divam,
  Quid faceret jam, ſi viveret, ille, rogo.

JACOBI

JACOBI VI.
Scotorum Regis
De Generoſi Viri *Tychonis Brahe Dani* Aſtronomicis Operibus
Elogium.

Ætbereis hic quinq; globis, queis Machina Mundi
Vertitur, ut celſo eſt cruſtatus fornice Olympus,
Ignibus, & pictus fulgentibus undique lychnis:
Pellucent vitreis domibus, vaſtiſque Planetæ
Orbibus: ut geminant curſus vi & ſponte rotati:
Ut miti aut torvo aſpectu longè ante futura
Præmonſtrant, Regniſque Tonans quæ fata volutet.
His tellure cupis, quæ vis, quis motus & ordo
Cernere, ſublimem deductúmque Æthera terræ
Tychonis *pandunt operæ, lege, diſce, videbis*
Mira, domi Mundum invenies, Cœlúmque libello.

Aliud.

Aliud.

Quàm temerè eſt auſus Phaeton, *vel præſtat* Apollo
Qui regit ignivomos Æthere anhelus Equos.
Plus Tycho; *cuncta Aſtra regis: tibi cedit* Apollo,
Charus & Vraniæ *es hoſpes, alumnus, amor.*

JACOBUS REX F. manúque propriâ ſcripſit.

Recolo hîc JACOBI Regis in Epiſtola ad *Caſaubonum* verba; *nobis multò potius coram tecum ſermocinari quàm per literas, & dabit illud Deus aliquando confidimus, fortaſſe in locis non ita diſſitis.* Et *dedit* certè *illud Deus* tandem, *in locis non ita diſſitis*, in *Anglia* nimirum noſtra, in qua An. Dom. 1610, ab hoc Rege benigniſſimè exceptus *Caſaubonus*, hoc, quod ſubjungo, in *Galliam* ſuam miſit Encomium.

Epiſtola

Epiſtola CCLXIV.

Jacobo Auguſto Thuano.

V Idi tandem, & præſens veneratus ſum Sereniſſimum καὶ γαληνότατον *Regem illum, cujus de laudibus quicquid dixero minus erit. Eſt ita comparatum naturâ, ut de magnis Principibus multa fingat fama, & ſi quæ illis inſunt bona, veris falſa affingens in majus extollat. Ego verò* Magnæ Britanniæ *Regem, ut veni, ut vidi, & de rebus diverſis diſſerentem audivi, majorem famâ ſuâ inveni, & quotidie magis magiſque invenio. Crede mihi, ampliſſime* Thuane, *nihil hodie Sol videt hoc Principe humanius, nihil benignius, nihil literarum & omnis virtutis amantius: Adde eruditionem, quæ vel in privato homine ad veræ laudis adeptionem poterat ſufficere*

ficere, in Rege autem tanto, hiſce præſertim temporibus, magni, ſi quid judico, inſtar miraculi queat cenſeri? Quid nunc commemorem ingens illud ſtudium veri in omni re, & amorem omnium qui eodem ſtudio ducuntur? &c.

FINIS.

Lector candide, ut quibus primò Editoribus Regia hæc Opera accepta feramus tibi innoteſcat, ſynopſin hanc hoc loco attexuimus.

EDitæ ſunt binæ *Henrici* 8. ad *Eraſmum* Epiſtolæ, ab *Eraſmo* ipſo, in magno volumine Epiſtolarum ejus, lib. 23. p. 911. & lib. 27. p. 1102. inventæ. Edit. *Baſil.* 1540.

Ejuſdem Regis ad *Ludovicum Vivem* Epiſtola præfixa eſt Commentariis *Lud. Vivis* in Libros B. *Auguſtini* De Civitate Dei. Edit. *Baſil.* 1569.

Extat Reginæ *Elizabethæ* Epiſtola in lib. Epiſtolarum *Ioannis Sturmii*, & aliorum, ad *Rogerum Aſcham*, &c. Edit. *Hannoviæ*, 1602.

Ejuſdem Reginæ ad *Oxonienſes* Orationem nobis tradidit *Laurentius Humphredus*, S. Theologiæ apud *Oxonienſes* Profeſſor Regius, in Vita *Ioannis Juelli* Epiſcopi *Sariſburienſis*, pag. 244, 245.

Ejuſdem Reginæ Orationem ad Legatum à *Poloniæ* Rege miſſum (quam & apud *Jo. Stow*, & *Speed*, in Chron. inveni) ex *Elizabithæ* hujus Annalibus, à Viro Cl. *Guil. Camdeno* conſcriptis, deſcripſi, ad An. 1597.

Ejuſdem Reginæ Reſponſionem ad Orationem *Dominici Baudii* videas (ſi placet) in Libro Orationum *Dominici Baudii*, Edit. *Lugduni Bat.* 1620. pag. 105. nec non in Libro Poematum ejuſdem, part. 2, pag. 92. Edit. ibid. 1616.

Debemus auream *Jacobi* ad *Iſaacum Caſaubonum* Epiſtolam *Joanni Frederico Gronovio*, Epiſtolarum *Caſauboni*, ſuperiori anno, Editori; qui eam ſtatim poſt initium poſuit.

Incidi in Epiſtolam *Jacobi* Regis ad *Marcum Antonium de Dominis*, Archiepiſcopum *Spalatenſem* (ut animadvertis) imperfectam,

perfectam, in Libro *Danielis Lobeti* contra *Leonardum Marium*, cui titulus, *Sorex primus*, &c pag. 197. &c.

Carmina *Jacobi* Regis, in interitum *D. Philippi Sidnæi*, ponuntur in initio Academiæ *Cantabrigienſis* Lachrymarum, Tumulo D. *Philippi Sidnæi* Sacratarum.

Elogium ſuum de Aſtronomicis Operibus *Tychonis Brahe Dani* poſuit Inclytiſſimus Rex *Jacobus* ad partem primam Aſtronomiæ Inſtauratæ Progymnaſmatum *Tychonis Brahe*; cujus Operum & Inſtrumentorum, in ædibus *Uraniæ* dicatis, in *Dania* agens, fuit inſpector.

FINIS.
